
DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VARIOLA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
VARIOLA;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GEORGII BAIRD, S.S.T.P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;
Pro GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit
MICHAEL PARKER,
HIBERNUS,
A. B. TRIN. COL. DUB.

NEC NON
HIB. MED. SOCIET. SOC. EXTRAORD. ET OLIM PRÆS. ANN.

*—Verecundus color
Reliquit ossa pelle amicta lurida.* HOR. Epod.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT MURRAY ET COCHRANE.

M, DCC, XCIV.

THOMAS COOK, Sen.

ARMING

V. A. R. L. A.

IN COMITATU ROSSONON

ANNUS 1811

D. GEORGI BARR

NEC OBLIVISCI, NEC MINUS OBLITURUM ESSE

“ Et quoniam in illis sanguinea massa quasi inflammata, et accensa est, et interdum aura veluti maligna afflata; magna, opus est medico, doctrina, prudentia, et sagaci cunctatione in illarum curatione, imo *religiosa* Naturæ motuum observatione, aliter perniciosi subnascentur errores.”

BAGLIVI de Variolis et Morbillis.

L. D. B. R. O. I.

EXCUBANT MURAT ET BOCHMANI

M. D. C. C. X. V.

THOMÆ COOKE, Sen.

ARMIGERO,

DE TULLY,

IN COMITATU ROSCOMMON,

STUDII QUASI PATERNI

ERGA SE, TAM PUERUM, QUAM JUVENEM

MANIFESTI,

NEC OBLIVISCI, NEC UNQUAM OBLITURUM ESSE,

HOC QUANTUMVIS LENE TESTIMONIUM;

NECNON

THOMÆ COOKE, Jun.

ARMIGERO;

DE LISSIVOLEN,

IN COMITATU WESTMEATH,

AMICITIÆ GRATISSIMÆ,

QUA ILLI FUIT, A PRIMA ÆTATE, CONJUNCTUS,

IN MEMORIAM,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

OFFERT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VARIOLA.

MORBO hoc atroci immunes fuisse antiquos; minimè dubitare licet; quoniam de eo auctores Romani æque ac Græci, tam medici quam historici, nihil significant, licet iidem alioquì nec terræ motus, neque pestis cujusquam mentionem in historiis suis omiserint.

RHAZES primus variolam dilucidè depinxit, et ille quicquid de ea cognovit, ex scriptis Arabum *, quibus longe ante ejus tempus cognita fuerat, se excerptisse fatetur.

SYDENHAMUS vero illustris symptomata a se ipso observata et totum morbi decursum, primus in temporibus nostris luculenter descripsit.

Cum Saracenis primum morbus hic apparuit, et quascunque illi regiones armis occupaverunt, ibidem pari furore statim grassatus est, et inde commercium et bella comitans, per totum pene orbem terrarum vagatus est.

DEFINITIO.

Pyrexia contagiosa cum vomitu, et, ex epigastrio pressio, dolore; tertio die incipit, et quinto fi-

* Dicit FRIENDIUS, in Historia sua Medicinæ, “ Hujus
 “ origo multo longius retro, quam vulgo creditur, ex ip-
 “ sorum Arabum auctoribus investigari potest: nam repe-
 “ tenda est etiam ad illustrem usque ipsius Mahomitis epo-
 “ cham, quæ cœpit initio septimi sæculi.”

nitur, eruptio papularum phlegmonidearum, quæ spatio octo dierum in suppurationem, et in crustas demum abeunt, sæpe cicatrices depressoas five foveolas in cute relinquentes.

Duæ vero sunt variolarum species, discreta, scil. et confluens. Discreta sic definitur.

Pustulis paucis discretis, circumscriptione circularibus; febre, eruptione facta, protinus cessante.

HISTORIA MORBI.

In hac specie febris eruptiva benigna atque inflammatoria est; circa meridiem, cum horrore, rigore, languore, et somnolentia, impetum facit: excipiunt hæc calor, sitis, nausea, et haud raro vomitus. Capitis, dorsi, epigastrii pressi, et lumborum dolores, intestinorum angores, colicamentientes, comitantur ingrati: quibus accedunt spiritus difficilis, oculorum rubor, et arteriarum temporalium solito validior pulsatio.

Diebus secundo et tertio febris magis magisque insævire incipit, quum ex somno exterritus trepi-

dat æger, se multum jactat, et si provectior sit ætate et in lecto remaneat, ad sudorem cietur : Infantes autem haud raro paroxysmis epilepticis corripuntur, quorum si unus tantum vel alter accidunt, parum ominis est infausti.

Ad finem diei tertii, vel quarti ortum, erumpunt papulæ, quæ omnium symptomatum lenimen afferunt ; primò in facie apparent, deinde collum et pectus obsident, et brevi post tempore, totum supra corpus diffunduntur.

Febris ab eruptionis initio decrescit, et die plerumque quinto penitus cessat. Papulæ primo subrubræ, vix eminentes erumpunt, quæ paulatim abscedunt, et in pustulas abeunt parvas. Hæ super faciem paucæ plerumque sunt, et licet sint numerosæ, tamen discretæ sunt, neque se mutuo inire videntur.

Quinto vel sexto die papulæ singulæ apparet in apice vesicula, liquorem serosum, aut coloris expertem continens ; per biduum hæ tantum latefunt, et in vertice foveola sese ostendit ; nec ante diem ab earum formatione octavum, in fastigi-

um spherale elevantur. Pustularum bases circumdantur margine circulari inflammato, colore rosam damascenam referente.

Si pustulis facies obducatur plurimis, tota tumet, præsertim palpebræ, quæ aliquando adeo auferunt, ut æger ferè luce privetur.

Pustulas numerosas faciem deformantes, raucedo, et quædam faucium affectiones, liquore tenui simul ab ore effuso, sexto vel septimo die solent comitari. Signa hæc pro faciei tumore ingravescent, humores mucosi faucium tenaciores facti ægrè excernuntur, et deglutitio simul adeo difficilis evadit, ut non raro liquores in os assumpti per nares rejiciuntur.

Morbo sic progrediente, liquor in pustulis albescit, et fuscum deinde colorem induit. Die undecimo pustulis maturescentibus, inflammatio et tumor faciei subsidunt; pustularum apices nigrescunt, sponte dehiscunt, materiemque purulentam effundunt, quæ aere demum ficcata crustulas efficit squamosas.

Paucos

Paucos post dies decidunt crustæ, cutem nudatam, et coloris obscure rubri, linquentes; nec, nisi hebdomedas post aliquas elapsas, redeunt faciei candor et pristina elegantia: serius nonnunquam decidunt crustæ, ob tenuitatem liquoris pustularum, et non raro foveolas in cute relinquunt.

Sicut in facie, sic et in aliis partibus, (sed in artubus paulo serius), singula ordine eveniunt, sed harum non evenit tumor, donec faciei minuitur, scil. in decimo vel undecimo die, et eodem modo, quo in facie, subsidit, maturelcentibus pustulis; aliquando in artubus ex pustulis resorbetur materies, quæ tunc vacuæ videntur esse vesiculæ.

Quum pustulæ in facie numerosæ fuerant, aliquando ad hoc temporis aliquantum pyrexia sefe ostendit, quæ raro perstat post maturationem pustularum in artubus.

At longe aliter sævit variola confluens, non sine gravi vitæ discrimine; plerosque enim quos species hæc summè maligna invadit, e medio tol-

lit. Sic definitur. Pustulis numerosis, confluentibus, circumscriptione irregularibus, flaccidis, parum elevatis, febre post eruptionem persistente.

Symptomata supra relata, sed majori ferocia, et nova horrenda facie, ingruunt. Anxietas, ægritudo, in lecto jactatio, ingens capitis et dorsi dolor, et vomituritio, vel sub morbi aggressionem, immaniùs affligunt. Nihilominus non ita promptè hic in sudores dissolvitur æger, ac in alia specie, supra jam descriptâ.

Diarrhœa insuper nonnunquam eruptionem præcedit, et ad diem unum alterumve post illam protrahitur; quod in discreta varioiarum specie nunquam SYDENHAMO contigit observare. Pulsus frequentior et debilior febrem typhodem intentat. Coma haud parvi momenti, et non raro sævit delirium.

Symptomata, quæ in distinctis leniter et cito cursum peragunt, in confluentibus persistent diutiùs, et sæpe vespere ingravescent. In hac specie quoque locum habent convulsiones, pluris periculi, et infantes sæpe, morbo accedente, et etiam

nulla apparente eruptione, subito ad plures rapiunt, aut variolam valde confluentem et malignam introducunt.

Apparet aliquando eruptio ad finem diei secundi, crebrius vero incipiente tertio, et vix unquam post illum; quantoque magis quartum diem præverterint variolæ, tanto etiam confluent magis.

Aliquando prorumpunt papulæ acervatim, eruptionem rubeolæ propriam referentes; et eas non raro prægreditur aut comitatur efflorescentia erysipelatosâ.

Eruptione perfectâ, pustularum copia major faciem, sed minorum, et minus eminentium, fœdat. Si ab aliis separantur, aliquæ pustulæ, nec in figuram conicam exfurgunt, nec base rubra circumdantur, sed pallidæ, exsangues, et luridæ apparent; in his, si quando, peracta eruptione, paululum remiserint febris et alia symptomata, inter suppurandum recrudescunt.

Vesiculæ in apice pustularum citius apparent et in latitudine auferunt, sed non figuram circularem et regularem retinent.

Plures in unum coeunt pustulæ, adeo ut vesiculâ unâ potius quam pluribus obtegi non raro facies appareat; et nonnunquam superficiem exhibet æqualem, vesiculis nusquam elevatis.

Liquor in pustulis, a pellucido, albidus fit atque opacus; sed nunquam, ut in variola discreta, flavedinem aut crassitudinem acquirit.

Tumor faciei, qui discretas plerumque comitatur, vix unquam confluentibus abest; et maturiùs et magis crescit, nisi magnopere deficient vires.

Circiter diem undecimum, ex pustulis ruptis et corrugatis stillat liquor, qui arefactus, in crustas, fusci aut subnigri coloris, formatur; quæ post dies plures a facie tandem decidunt, et per raro expectationem fallunt, foveolas relinquendi; quamvis in aliis corporis partibus pustulæ magis distinctæ sint quam in facie, tamen nunquam acquirunt puritatem et tenacitatem tam evidentem quam in distincta.

In confluentium specie observavit SYDENHAMUS, pustulas manuum atque pedum majores fuisse quam reliqui corporis; et quò altius ab

artuum extremitate truncum versus ascenditur, eò sensim minores et contractiores semper extitisse. Non raro manus pedesque, antea tumidi, ex improvise detument. Est quoque ubi facies non prorsus tumet, sed ab initio morbi (res pessimi ominis) pallet.

Sunt vero et alia symptomata duo, quæ variolis confluentibus accidunt, haud minoris momenti, quam quodlibet è prædictis; salivatio nempe in adultis, atque in infantibus diarrhæa. Harum prior perpetuum se comitem adjungit, et nonnunquam sub primum eruptionis tempus apparet, nonnunquam non nisi postridie triduove præterlapso. Materia primo tenuis excernitur, ac facile rejicitur; die autem ferè undecimo, viscidior jam facta, ægerrime excreatur; siticulosus est æger, tussit subinde inter bibendum, potus per nares revertitur, atque ab hoc die cessat ut plurimum salivatio.

Non ita maturè diarrhæa infantes invadere solet, atque adultos ptyalismus; quocumque vero tempore ingruerit, nisi arte sistatur, per totum morbi decursum, ægrum affligit.

In variola confluyente, præsertim in febre secundaria, (quæ accedit post pustularum maturationem plerumque,) sæpe adsunt signa, quæ vires immixtas ac humores ad putredinem proclives, indicant; scilicet petechiæ inter pustulas, vesiculæ subter cutem serum continentis, ad gangrænam pronæ: aliquando diarrhæa sanguinolenta, mictus cruentus, et hæmorrhagiæ aliæ sese ostendunt.

Sub mortis articulum non raro observantur, delirium, tendinum subsultus, spiritus difficilis, pulsus exilis, debilis, et abnormis, extremitatum frigiditas, et plerumque stridor dentium; ac coma, et urina suppressa, finem prænunciant.

Variolarum sequelæ multæ et periculosæ sunt; in quarum numero ophthalmiam, phthisim pulmonalem, inflammationes scrophulosas, in ulcera et articulorum tumores desinentes, licet collocare. Hi morbi pendere existimantur ex materia acri variolosa resorpta, de novo circuitui commissa, et deinde variis in corporis partibus deposita.

Horum verò morborum hanc esse causam merè excitantem, et hos inducere in prædispositis tantum, mihi liquet.

DIAGNOSIS.

Primo impetu eandem fere faciem induunt morbi vix non omnes acuti; est autem inter variolam et cæteros differentia quædam. Spurium vero genus, nomine varicella, est quod incautis morbum verum mentitur, sed quod illum vehementiâ nequaquam refert.

Varicella febre sine multa adoritur, aut cum febre per tempus nullum determinatum perstante. Citius quam in variola papulæ in vesiculas vel pustulas abeunt, et harum liquor nunquam colorem vel tenacitatem istam adipiscitur, quæ in variola observari solet; pustulæ porro tertio aut quarto post eruptionem die, in crustas formantur.

Erysipelas et rubeola, prima facie, confluentem variolam multum referunt; qui vero eruptionis et morborum historias accurate perpendit, hanc facile ab illis distinguere possit.

Rubeolam comitantur tussis sicca et raucedo, pectoris angustia, cum aurium et narium prurigine, oculorum dolore, epiphora, et sternutatione.

Erysipelas

Erysipelas potius tumore et rubedine, quam eruptione designatur. Hi primò spatium exiguum tantum obducunt, postea totam pene faciem tenent, et partes post paulo relinquunt, quas primum obsederant, in alias transaturi.

DE MORBI CAUSIS.

Ad hunc morbum producendum, contagium corpori inferatur, ut omnes consentiunt scriptores, est necesse. Contagionem igitur tanquam ejus *Causam Excitantem* reputare oportet.

In vere atque autumno maxime impetum in corpus facere videtur contagio variolosa; sed hujus vis periodica, quatenus a tempestate aut constitutione aëris pendet, nonnunquam videtur variare.

Febri popularitèr grassanti, sive hæc nervosa, putrida, vel catarrhalis sit, se ut plurimum sociare gaudet contagio variolosa.

Statum quendam corporis esse, qui causæ excitanti adiutorem se præbeat, et ad morbum producendum sit necessarius, verisimile videtur; nam mi-

nimè negandum est, variolam sæpe unum tantum ex familia obsidere, aliis præteritis, et familiam unam alteramve invadere, vicinæ parcentem; corporis hæc conditio, qualiscunque fit, *Causa Prædisponens* vocatur. Ex quo pendet prædispositio, non clarè liquet: nolumus enim debilitati eam tribuere, quamvis homines aliis contagionibus magis obnoxios reddenti; quia in conspectum venerunt exempla hominum, qui contagioni objectati erant sine affectu usitato, attamen postea, nulla apparente debilitate, morbo corripiebantur. Contagio eadem per insitionem immissa in diversis corporibus, effectus longe diffimiles edit, et in uno homine discretam, in altero vero confluentem variolam producit. Illustris VAN SWIETEN, experientiâ longâ edoctus, de hac re tractans, his verbis utitur:

“ Major ergo vel minor morbi malignitas non
 “ a majore vel minore virulentia contagii pendet,
 “ sed potius a varia dispositione corporis cui con-
 “ tagium applicatur. Confluentium variolarum
 “ ichor multum differre videtur a pure variolarum
 “ discretarum

“ discretarum et benignarum ; attamen experi-
 “ menta docuerunt, ichorem confluentium vario-
 “ larum, et lethaliū quidē, applicatum vulneri,
 “ produxisse mites et benignas variolas ; e contra-
 “ rio, mitissimarum contagium variolarum quan-
 “ doque produxit omnium pessimas quas un-
 “ quam vidi *.”

Opinio quam de *Causa Proxima* tenuit celeberrimus CULLEN fuit, quòd, vi † fermentationis et assimilationis, quæ contagioni variolosæ inest, effectus, qui locum habent post contagionem in corpus receptam, inducuntur ; et humores ita assimilatos, reagente systemate, aut perspirationis sub forma sensûs effugientis, aut saltem per pustulas penitus e corpore eliminari ; et quo major utique per viam priorem effugiat quantitas, eo pau-

* Vol. 5. p. 30.

† Hanc opinionem, tantum revocatam a CULLENO, RHAZES primus in lucem edidit. Ille dixit fermentum in sanguine esse, quale in musto fieri solet, eumque serius aut citius, materiem peccantem per cutis glandulas ejiciendo, sese purificare. Vide FRIENDI Historiam Medicinæ.

ciores esse pustulas: sed hoc praxi non est consentaneum, nam si ratio medendi ita habita fuerit, ut perspiratio e corpore eliceretur, quoniam aucto sine calore hoc fieri nequeat, pustulæ numero magnopere auferentur.

PROGNOSIS.

Ad prognosin in primo morbi stadio formandam, indagare oporteat, quinam sit ægri habitus generalis, an ejus vires morbis aliquibus, præsertim febribus continuis vel intermittentibus, aut * rubeola, nuper essent imminutæ. Quænam insuper sit grassantis morbi natura, et ægri ætas, nam ætate tenellis et junioribus, ob † exitum per cutem liberio rem materiæ variolosæ præbitum, benignior esse solet. Anni tempestas etiam attentionem sibi vindicat.

* A Doctore WATSON memoratur, illos qui a rubeola convalescentes variola corripiebantur, hanc habere valde confluentem et malignam, et plerumque lethalem.

† Vide SYDENHAM.

Signa, omnis aut fausti aut minus benigni, vix necessarium esse existimo recensere, in variolis discretis apparentia, utpote historiâ morbi jam traditâ satis facile discernenda. Notatu tantum dignum est, quo proprius discreta ad confluentem vergit, eò majus esse periculum. Animadvertendum autem est, morbum hunc magnum æstimari, non pro variolarum frequentia, quæ reliquum corpus, sed pro earum numero tantum, quæ faciem obsident; quæ si his tanquam injectâ arenâ ubique contegatur, licet paucæ atque discretæ sint eæ quæ in reliquo corpore cernuntur, haud minus periclitatur æger quam si membra omnia denso agmine pervaserant.

In confluentibus verò magis periclitantur ægri; et periculum maxime intenditur delirio, convulsionibus frequentibus et diu protractis, sanguinis in aliqua parte (capite imprimis, aut pulmone) congestione, aut ventriculi affectionibus magno-pere ingruentibus. Si die octavo pustularum bases lividæ appareant, si vel faciei vel extremitatum tumor sit nullus, aut si putredinis signa,

prius recensita, aut virium defectûs, se ostendant, exitum morbi infelicissimum plerumque prædicere possumus.

Die undecimo etiam magnum in discrimen adducitur æger; ibi temporis enim saliva prius tenuis, viscidior facta, ægerrime excreatur, ita ut tantum non suffocetur æger: et præterea, eodem tempore febris, quæ aliquando, eruptione peracta, cessaverat, recrudescit.

METHODUS MEDENDI.

Quum post variolæ * insitionem, aut contagioni ejus expositionem, aut populariter hoc morbo graffante, febris aliquem symptomata invasisse videntur, præsertim si vitam totam ab eo vacuus degisset, haud multum dubitandum est, quin morbo, de quo nunc agitur, fuerit correptus.

* De variolarum insitione aliquid dicere nil necesse habeo, quandoquidem de ea amplissimè tractatur à celeberrimo CULLEN, in Primis Lineis suis.

Febri utique eruptivæ in limine, emetici ope occurrere decet; hoc enim remedium, proclivitate ad vomitum insigni, et aliis ventriculi affectionibus, præ omnibus indicatur. Cathartica insuper ex salibus mediis, angustia et oppressione sensum præcordia tenentem, et a congestionibus orientem, plurimum levant. Haud parum etiam proficiunt, aëri puro et algido expositio; potuum et refrigerantium et diluentium, ex acidis plerumque confectorum, cerevisiæ tenuis et fructuum acescentium libera usurpatio; liquoribus generosis, et cibo animali, scrupulosè simul evitatis.

Si eruptio sit discreta, nihil aliud plerumque necessarium erit; et si regimine antiphlogistico attente usus fuerit æger, ope medica parùm egebit, natura quoniam sibi sufficiet ipsa.

Sed si febrem hæc medicamenta non tollant, et si æger habitûs plethorici et ætatis provectioris sit, opus erit sanguinis aliquantum mittere.

Si plusquam diem ante eruptionem integrum adorientur convulsiones, et vel crebræ vel validæ sint, haud magno periculo vacant, et auxilium

præfens requirunt: ad has compescendas, opium in doſe fatis larga porrectum, remedium efficaciffimum eſſe compertum eſt; et aëris frigidi libera admiſſio magnopere adjuvat; et ſymptomata hæc, per ſe etiam, haud raro penitus fugavit.

Si, eruptione jam facta, papulæ numeroſæ appareant, cum calore aucto, pulſu pleno, valido, et frequente, pro ægri ætate et temperamento, et ipſorum ſymptomatum vehementiâ, medicis quibuſdam ſanguinis miſſio præcipitur. * Alii vero (nec parvi nominis) a tali opinione diſſidentes, ſanguinis miſſionem vires imminuere, et ad putredinem inducere proclivitatem, aſſerunt. Huic opinioni a nobis conceditur, et frequentem alvi purgationem, ad hæc ſymptomata compescenda ſufficere, perſuaſum eſt.

Sed ſi confertæ ſint papulæ et confluentés, quas plerumque comitatur febris typhodés, cum virium imminutarum et ad putredinem proclivitatibus ſymptomatibus, tum longe alia praxis eſt uſurpan-

* GREGORIUS, CULLENUS, &c.

da; et vice venesectionis et catharsis (alvo tamen soluta ope clysmatum) exhibenda sunt cinchona, vinum larga manu, et acida; quin etiam si non erigantur pustulæ, nec appareat faciei et extremitatum tumor, pedibus manibusque vesicatoria aut fomenta applicare decebit.

Si quinto die dolor, vigiliæ, et inquietas urgeant, opium, dulce doloris lenimen, ægro subinde per totum morbi decursum propinare juvabit; quoniam ab omnibus concessum est, opium esse liberè adhibendum, ubi vel vires reficere, vel diarrhæam compescere, vel pustulas jam collapsas erigere est necesse. Quoniam vero secretiones fere omnes et excretiones, alvi præsertim, reprimit, suis incommodis non caret, quibus obviam eundem est laxantibus aut clysmatibus.

Si dolor faucium et tumor angant ægrotum, et deglutitio sit difficilis, diligenter utenda sunt gargarismata detergentia, faucibus externis simul vesicatoriis applicatis.

Saliva, quæ aliquando die undecimo adeo viscida fit, ut discrimen suffocationis inducatur, expellenda

lenda est ope gargarismatum, quæ aliquando in fauces siphunculo sedulo injicere erit necesse.

Si diarrhæa lenis per tempus exiguum se ostendat, nullo remedio opus erit; sed si ingravescente debilitate persistet, compescenda est opio, potione cretacea, aut infuso extracti catechu.

Per decursum morbi, magnopere laudantur medicamenta ex stibio præparata, in dosibus, nauseam, sed non vomitum, cientibus, adhibita; quæ corporis non tantum superficiem versus humores derivant, verum etiam vi quâdam catharticâ polere inveniuntur.

Febris quæ, eruptione facta, aliquando persistat, aliquando cessat, post suppurationem perfectam haud raro revertitur, vel si præsens fuerit, augeatur; quum post variolam discretam se ostendit, typum inflammatorium induit, et sanguinis missione et catharsi summovenda est; confluentem sæpius comitatur, et febrem typhodem refert.

Quamprimum apparet, emeticum adhibere prodest, ita ut producatnr nausea, et vomitûs aliquantum; nam utrum præ pure in sanguinem rediente,

te, an præ materiæ venenatæ separatione imperfecta, an putrida colluvie canalem alimentarium infestante, accenditur febris secundaria, emetica certe haud parum pollicentur auxilii. Regimini antiphlogistico supra memorato addantur cinchona, vinum Lusitanicum, acida, opium, munditia, et aëri frigido expositio, quæ cæteris medicamentis palmam præripiunt.

F I N I S.

